[illegible]

[illegible] ... de Palazuelos ... de Chinchilla ... [illegible]

bulla delos coronados

Hoc est translatum fideliter sumptum a quibusdam patentibus pergameneis litteris Sanctissimi in Christo patris et domini
domini Innocentii bone memorie pape octavi eius vera bulla plumbea in filis sericeis rubei croceique colorum more romane
curie impendentibus munitis non viciatis non cancellatis nec in aliqua earum parte suspectis, sed omni prorsus vitio
et suspectione carentibus, quarum quidem litterarum tenor sequitur et est talis. Innocentius episcopus servus servorum dei ad perpetuam
rei memoriam. Illius qui verus pacis est auctor vices licet immeriti gerentes in terris ad ea libenter intendimus per que sedi-
tionis procacitatibus et simultatibus universis fideles singuli in charitatis unione letentur et ab eorum cordibus omnis
scandali fomenta deponantur et scandalis quibuslibet per nostre provisionis auxilium obvietur. Sane charissimus in Christo
filius noster Ferdinandus rex et charissima in Christo filia nostra Helisabeth regina illustres Castelle et Legionis regnorum per
dilectum filium nobilem virum Enecum Lopez de Mendoza Comitem de Tendilla eorum capitaneum et oratorem ad
nos destinatum nobis nuper exponi fecerunt quod quamplures persone ecclesiastice in diversis civitatibus opidis terris
et locis predictorum et aliorum eorundem regis et regine regnorum et dominiorum habitantes varias partialitates et
bandositates tenent et fovent, et quamplures alias personas ipsis in hoc faventes et simplices partialitates et bandosita-
tes sub earum velamine ac aliis tenentes receptant fovent et sustentant pro eo quod ecclesiastici sunt sub eosdem regem
et reginam et judices seculares corrigi non posse confidentes. Unde in civitatibus opidis terris et locis predictis gra-
via scandala dissensiones et personarum pericula hactenus subsecuta sunt, et in futurum subsequi formidatur, nisi super
hoc de remedio provideatur oportuno. Nos igitur huiusmodi scandalis dissensionibus et periculis obviare cupientes,
ipsorum regis et regine in hac parte supplicationibus inclinati omnes et singulas personas ecclesiasticas cuiuscumque
status gradus ordinis vel conditionis existant etiam in dignitatibus constitutas tam exemptas quam non
exemptas in dictis regnis et dominiis constitutas auctoritate apostolica tenore presentium in virtute
sancte obedientie et sub excommunicationis pena quam nisi paruerint ipsas eo ipso decernimus incurrisse et quam
preter quam a locorum ordinariis et si episcopi fuerint a suis metropolitanis, metropolitani vero a suis archiepiscopis, et ceterorum
regnorum absolvi non posse requirimus et monemus quatinus quamprimum presentes littere seu earum transumpta in
valvis maiorum ecclesiarum aliquarum civitatum seu opidorum terrarum et locorum predictorum affixe seu affixa fuerint, et
ad personarum earundem notitiam verisimiliter devenire potuerint, a partialitatibus bandositatibus huiusmodi rea-
liter et cum effectu penitus desistant, et quascumque personas alias quas secum propterea habuerint omnino abiiciant
nec de cetero tales teneant receptent vel sustentent etiam sub familiaritatis vel alio nomine seu colo-
re. Et nihilominus venerabilibus fratribus Conchen. et Cauriensi ac Legionensi Episcopis per apostolica scripta mandamus
quatenus ipsi vel duo aut unus eorum per se vel alium seu alios presentes litteras ac omnia in eis contenta solemniter
publicantes faciant illa auctoritate nostra firmiter observari ac omnes et singulos quos eis constiterit dictam excommunicatio-
nis sententiam incurrisse tandiu in ecclesiis dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit etiam
nominatim et in specie excommunicatos publice nuntient et faciant ab aliis nuntiari ac ab omnibus arctius evi-
tari donec ad cor reversi a premissis desistent et satisfactione previa meruerint ab eadem excommunicationis
sententia per eorum ordinarios predictos absolutionis beneficium obtinere, contradictores per censuram ecclesi-
asticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quibus-
cumque privilegiis et indultis in genere vel in specie eisdem personis presertim exemptis sub quibuscumque ver-
borum formis concessis contrariis quibuscumque, aut si personis prefatis vel quibusvis aliis communiter vel divi-
sim ab apostolica sit sede indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas
non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo om-
nino hominum liceat hanc paginam nostre constitutionis requisitionis monitionis et mandati infringere vel
ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis dei ac
beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum anno incar-
nationis dominice millesimo quadringentesimo octuagesimo sexto, septimo idus septembris, pontificatus
nostri anno secundo. Jacobi Vilar auctoritate regia notarius publicus Barchinone testis. Michaelis Ferrer regia auctoritate
notarius publicus Barchinone testis. Bartholomei Torrent regia auctoritate notarii publici Barcinone, qui huius-
modi translatum a suo originali fideliter sumptum et in eodem de verbo ad verbum veridice comprobatum testificando
ut supra patet scribi fecit et sexto die mensis septembris anno a nativitate domini M°cccc LXXXVI clausit.